

2

IVSTA EXSEQVIARVM
MATRONAE NOBILISSIMAE
MAGNISQVE CORVSCAE VIRTVTIBVS

MARIAE CATHA-
RINAE,
GENERE ALEXANDRAE,

VIRI
NOBILISSIMI EXCELLENTISSIMIQVE
IOANNIS SAMVELIS
STRYKII, IC.

PROFESSORIS PVBL. CELEBERRIMI
ET OPTIME MERENTIS

VXORI DESIDERATISSIMAE,

AEQVISSIMO HVMANITATIS OFFICIO

HODIE XXVI NOVEMB. HORA III

SOLVENDA

INDICIT,

ET AD CELEBRITATEM ILLORVM

OMNIVM ORDINVM VIROS IUVENESQVE

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ADDICTOS

INVITAT

EIVSDEM PRORECTOR

GEORGIUS ERNESTVS STAHL,

MEDICINAE D. ET PROFESSOR P. ORD.

Halaë, typis CHRISTOPHORI ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.



Ta ergo huius diei funestissimo officio comprobandum erat, quam nihil in humanis rebus sit firmum ac perpetuum, quam fluxa, quam fragilia & caduca sint omnia. Quam enim paucis ante diebus non minus valetudine satis commoda, quam ætate & annis florentem vegetamque videbamus, ei nunc (tanta inconstantia nostrarum rerum est) suprema tristes facere cælesti fato & ineuitabili imperio iubemur. Utinam fecisset Deus immortalis, ut nobilissimæ, omnibusque virtutibus conspicuæ feminæ **MARIAE CATHARINAE**, genere **ALEXANDRAE**, consultissimi excellentissimique viri, **IO. SAMVELIS STRYKII**, Professoris clarissimi, & honorandi collegæ nostri, vxori desideratissimæ, de recuperata valetudine & conseruata, gratulari nunc potius, ut spes intra ipsos morbi dies non exigua apparebat, quam eius funus indicere, & ad supremos honores ipsi luctuose celebrandos inuitare! Sed hæc res sunt mortalium, ut, quando superasse hi vim morbi cuiusdam videantur, ille sæpe vehementius insurgat, prosternat, & finem vitæ adferat. Quod quum ad animum, ut decet, aduocamus, non quidem mirandum nobis est admodum, mortali videlicet mortalia contingere, quia ex fragili materia homines ficti sumus, nec alia lege editi in hanc cæli lucem, quam ut momentis singulis ex vita rursus decedere possimus, immo, euocante Deo, rerum omnium arbitro, debeamus. Declinandæ huic necessitati, neque generis nobilitas

litas, maiorumque gloria quidquam adferre potest, neque
adfluentia rerum atque fortunarum: an vero virtus for-
taslis, probati mores atque pietas? Ita videri quidem pos-
sit, si nostro iudicio res agerentur mortalium; neque vana
productioris vitæ promissio in oraculis habetur, quibus
vero sua ita constat veritas, vt supremum ius in vitam no-
stram, nunc supra cursum constitutum proferendam,
nunc intra illum finiendam terminum, sibi soli suæque san-
ctissimæ voluntati Deus velit vnice reseruatam. Neque
in hoc pietas suis præmiis fraudatur, quæ potius celeritate
mortis cumulatissime pensantur, & in auctius maiusque
ad perpetuam augentur felicitatem. Quæ si quis satis serio
apud animum suum meditatur, vix fieri, credo, poterit,
quin ita de his rebus sentiat, vt multo felicius cum iis actum
putet, qui iuuenes ex hac vita euocantur, quam quibus
fors viuendi extremam vsque senectam diuinis fatibus obti-
gerit. Quamuis enim adsint cuncta, quæ vitam præstare
commodiorem possint; tot tamen vel felicissimi homines
naturæ suæ ac fortunæ casibus sunt expositi, vt numerum
eorum non inire, minus omnes præuidere nobis liceat.
Quis enim incerta & subita fortunæ exputabit? quis mor-
borum inuasionem ac insultum numerabit? a quibus omni-
bus immunis est & liberatus, qui citius, quam lex naturæ
videbatur exigere, fragilitatem hanc & vitæ conditionem
euasit. Bene itaque habet nobilissima nostra STRYKIA:
vicit tempestates atque turbines, subuecta ex fluctibus in
portum est, & tranquillissime nunc ibi agit, magnoque a-
nimo mundanas res, quas tanti faciunt mortales, ipsa im-
mortalis facta despicit. Neque amplius periculis, quæ nos
circumstant, est exposita, neque vllam metuit morborum
incurSIONem: sed extra turbas atque tumultus constituta
nihil audit, nihil sentit, quod dolorem adferat, sed diues
pace, tranquillitate locuples, beatitudine felix, inter cæli-
tes & immortales agit, suisque bonis perpetuo lætatur &
exsul-

exultat. Non ergo illius caussa lugendum nunc est gra-
uius, quæ multo felicior existimanda est, quod vita cesse-
rit, quam si in ea adhuc detineatur: sed si quis luctus, si mœ-
ror & dolor socius nos tangit, vti omnino debet tangere;
tangat propter eos tantum, quos illa coniunctissimos in
misera hac vita reliquit. Sed viri illi sunt, qui ferre sciunt
prospera & aduersa: Christiani sunt, qui mortem non esse
interitum intelligunt, sed exitum in vitam meliorem: nec
qui nobis eripiuntur, decedere ita a nobis, vt nunquam
cum illis coniungi rursus fas sit, sed eo nos relictos præ-
cesisse, quo omnes contendimus vt veniamus, tanto fe-
liciores, quo priores eodem peruehamur. Si recens luctus
& humanus adfectus, quem non omnem possumus exu-
ere, mœrorem illorum, vt putamus, auget, vt quæ naturæ
nostræ conditio est, dolori cedant iustissimo; a Deo im-
mortali precamur, vt diuino suo solatio sustentet, & ad vo-
luntatis suæ æquitatem magis magisque considerandam
adducat atque subleuet. Quod nostrum est officium,
quamlibet triste ac luctuosum, id amplissimo Collegæ no-
stro & Viduo mœstissimo, illustrique Socero præstandum
habemus curatius, vt beatissimæ Defunctæ reliquias ho-
norifica deductione ad sepulcrum comitemur; & memo-
riam virtutum illius, vt dignum est, conseruemus. Illa ve-
ro, cuius honori & memoriæ hæc scripta volumus, MARIA
CATHARINA ALEXANDRA est, matrona æque ge-
nere, vt claris virtutibus, si quæ alia, nobilissima, quæ patrem
habuit illustrem virum CASPAREM ALEXANDRI, se-
renissimorum Ducum Brunsvico-Luneburgensium Con-
siliarium intimum, Procancellarium, & ad Comitata Impe-
rii Legatum splendidissimum: matrem generosam & per-
nobilem feminam MARGARETHAM SCHMIDIAM
de Schmiedefeld. Multum interest ad educationem, quo
quisque loco aut parentibus fuerit natus: qui si in digni-
tate viuunt, auctoritate pollent, & moribus sunt probatis
& ad

& ad virtutis normam pietatemque compositis; utique spes est eximia, nec soboli defuturum esse, quod educationem ad decus & honestatem, summasque virtutes provehat. In quo equidem ut Beatissima nostra primum abunde felix videbatur, quum de illustrium parentum fidei cura & probitate nemo dubitaret: in eodem tamen illam, quum paruula esset, fortuna & fatum, erepto utroque parente, destituit: nec vero a Deo fuit derelicta, qui Aviam, **MARIAM MAGDALENAM SCHMIDIAM** de **Schmiedefeld / ANCKELMANNORVM** antiquo & nobili genere natam, conseruavit, a qua **NOSTRA**, vna cum fratre, nobilissimo iam viro consultissimoque, **IO. HENRICO ALEXANDRI**, Iudicii Prouincialis, quod Guelferbyti est, Adsessore, & Legationum Secretario Ducali: ab hac, inquam, ita **NOSTRA** Lipsiæ (nam ibi habitabat Auia) tanto studio atque cura in omnibus iis, quæ virgini nobili conueniunt, educata, & piis moribus ac recto sensu sacrorum instituta fuit, ut vix a parentibus, si superstites fuissent, maiorem curam & industriam potuisset expectare. Quæ vero etiam vita defunctæ successit in curæ locum Matris Soror, ornatisima femina **MARIA MAGDALENA RINCKIA**, quæ vsque in ætatis annum **XVI** perduxit quæ Auia in educanda **NOSTRA** bene honesteque instituerat. Quum iam nubilis illa facta esset, diuino haud dubie consilio & cœlesti prouidentia euenit, ut nobilissimus Vir, nunc mæstissimus Viduus, **IO. SAMVEL STRYKIVS**, IC. coniunctissimus Collega noster, in matrimonium expeteret, cui etiam illa, Deo prius per preces consulto, & suadente Tutore eius, excellentissimo viro **Q. SEPTIMIO FLORENTE RIVINO**, Appellationum in Saxonico Electoratu & Ducatibus Consiliario grauisimo, adsensit, idque coniugium, faustis auspiciis

B

spiciis

spiciis coeptum, decoro ritu Lipsiæ XV Calendas Martias
MDCXCIV celebratis nuptiis, fuit initum feliciter. Quod
etiam non minus postea, quam coeptum bene fuerat, ad
beatum vsque vitæ exitum summa concordia ac suauitate,
mutuoque amore, quamquam sine prole, tranquillissime
fuit perductum. De vitæ genere & sanctis moribus De-
functæ nostræ testes sunt luculenti, pie pudiceque custo-
ditam in virginitate, magnisque excultam virtutibus ad
animi moderationem pietatemque fuisse: in coniugio
autem, quod hic loci exegit, notum est nobis omnibus,
quam matronali pudore ac grauitate, quamquam iuue-
nis ipsa, supra ætatem præluxerit. Virtutibus delectaba-
tur; non auro, non gemmis aut simili mundo muliebri:
& sacris studiis ita in dies proficiebat, vt magis magisque
diuini verbi sensu & cælesti Spiritu illuminata intellexerit
non illum diuinum cultum esse, quo homines a delictis
grauioribus sibi temperant, animo nihilominus vanarum
rerum cupiditatibus oppleto; sed interiore adfectu men-
tis, puro Dei amore, auersatione voluptatum mundana-
rum, sincera pietate & deuotis precibus ita peragendum
esse, vt Christianæ professioni etiam vita atque mores re-
spondeant. Nouerat naturæ nostræ imbecillitatem, quæ
sanctis etiam in medio cursu pietatis ex transuerso quasi
obrepit, & offensæ ac impedimento est: ideo vitam suam
voluit perpetuam poenitentiam esse, vt agnita sua infirmi-
tate diuinum erga se amorem Christique beneficia abun-
dantius sentiret, illisque refecta & confirmata, maiorem in
dies progressum, fide in Deum non vana, sed præclaris
fructibus referta, & virtutibus actiuosa, ad cælestem patri-
am, quæ meta Christianorum est, contenderet. Ardua
res est, cum turba, cum mundo, cum vulgo hominum
pugnare, illorum abnuere illecebris & sollicitationi, hoc
est re-

est renuntiare voluptatibus, & quod plerique magni æsti-
mant, præ vero in Christum amore atque obsequio con-
temnere. In quo sanctissimo studio beatissima STRYKIA
& mundum vicit, & ipsum malignum, qui in mundo do-
minatur, spiritum: etiam se ipsam vicit suamque ætatem
iuuenilem, & mature se a tenebris ad lucem, a vanis ad ve-
ritatem, a mundanis ad cælestia conuertit, idque etiam,
Deo bene iuuante, adsequuta est, & speratis bonis apud
Deum & Christum suum sine intermissione nunc perfru-
itur. Fidei & pietatis, quæ sincera sit, documentum est
interna pugna & tentationes, in quas Deus suos immittit,
amore magis ad suscitandam maiorem fidem; quam vo-
luntatis suæ alienatione. Quo fit etiam, vt huiusmodi
pugnam, spectante Deo & auxiliante, gloriosa tandem vi-
ctoria subsequatur. In quo pugnae genere, non sexui ille
parcit, sed æque feminas ac viros cum aduersariis com-
mittit. Id quod NOSTRA vltimis diebus vitæ, quum iam
letaliter decumberet, persensit: sed adfuit eidem Deus, ne
succumberet in pugna, verum diuino verbo & solatio ar-
mata superaret quidquid aduersus certissimam salutem
subgestum reclamatumque fuerat. Victrix autem diui-
na virtute tanto maiorem ex Dei bonitate, Christique re-
demptione voluptatem sensit, vt languida quamuis, nec-
dum corpore soluta cælestem lætitiã perciperet, ad cu-
ius pleniorẽ nunc vsum atque sensum, vinculorum im-
pedimentis libera, quibus constricti hic omnes sumus, est
perducta. De morbo illius hoc habemus, quod referatur,
febrem acutam inflammatoriam, vt medici vocant, fuisse,
ortam ex nimia sanguinis copia, eiusque stasi a corrupti-
one circa viscera infimi ventris, stipatamque symptoma-
tum varietate. Nihil inexpertum relictum, quo tanta vis
morbi refringeretur, & tam excellentissimus Professor &

amicus collega noster D. FRIDERICVS HOFMANN, quam nobilissimus vir D. DANIEL FRIDERICVS HASPERGER, omnem curam & industriam adhibuerunt, quo pretiosis probatisque medicamentis, Deo secundante, morbi impetum superarent, & pristinam reducerent firmitatem corpori; verum nihil medicina contra fatorum diuinam constitutionem profuit, idque mature Beatissima persensit, ideoque animæ, quam corporis, curam toto morbi tempore sibi potiozem habuit. In primis sacratissimo epulo, hoc est Christi corpore atque sanguine, recreari ad firmitudinem exituræ animæ desiderauit, quam diuinam refectionem ex manu venerabilis viri, D. IO. MELSCHIORIS STISSERI, Pastoris Hallensium primarii, & per Salanum circulum vigilantissimi Inspectoris, summa deuotione, plenaque diuini amoris fiducia accepit. Sic corroborata patientissime pertulit quem morbus dolorem inferebat & acerbitatem, & toto animo, ab sensibus corporis abducto, vacauit precibus & diuinarum rerum meditationi, in quo etiam munere vsque ad extremum halitum perseuerauit, quem placide cum anima XXII Nouembris, hora IV matutina, inter preces & acclamationes circumstantium emisit, quum vixisset annos viginti duos, & non integros menses quatuor.

Sic euasit ex mundi huius, squalore ad supernas easdem incomparabiles in cælo sedes, ibique domicilium ab æterno, Saluatoris nostri virtute, præparatum occupauit. Nihil nunc illam fatigat, nullus dolor excruciat, neque morbus aut infirmitas inuadit: non mundi angitur malignitate ac offensaculis: Dei pascitur amore ac contemplatione summi boni, in quo incredibilem lætitiã habet, infinitam voluptatem habet, omnia quæ optari possunt, necdum a nobis intelligi, vbertim habet atque possidet.

Corpus

Corpus, mortalitatis superatæ signum, apud nos reliquit,
in quo quod Christo auspice diuina sapientia habitauit,
æquum quoque est, generosum illud fragmentum, diuini
Spiritus adhuc nuper habitaculum, terræ, vnde est, con-
credere, reddendum aliquando abolita infirmitate, &
clarissimis radiis ab excitatore suo condecorandum. Præ-
ter hoc etiam memoriam virtutis & pietatis apud nos re-
liquit, quam non tam meritorum (quamuis & hæc sint
satis causæ) quam exempli gratia ad imitationem conser-
uemus. Nescit virtus inter sexum distinguere, &, vt Pli-
nius Cæcilius dixit non vnâ Fanniam aut Arriam fuisse,
a qua viri etiam exempla capiamus: sic æquiori iure de
pientissima matrona nostra dicemus, ita diuino auxilio,
postremis annis maxime, vixisse, ita Deo plenam ex vita
excessisse, vt exemplo possit aliis proponi, quod intuean-
tur, quod imitentur, & a mundi vanitate auersi, ad Deum
se conuertant, & tenebras exosi, in luce vitam transigant
cælesti ac æterna. NOSTRÆ pietatem (ceteræ virtutes
iam fileantur) qui penitus inspexerunt, confiteri omnes
necesse habent, arduam rem esse vtique, quum immor-
talitate adhuc non potuerit frui, tamen ei mortali corpo-
re, & in his terris prælusisse, atque omnino ea & animo &
voce peregrisse, quæ digna Deo, digna cælo & æternitate
sint. Recte itaque ac ordine faciemus, si honorificis
exsequiis reliquias tam præclaræ feminæ ad tumulum ho-
die hora tertia frequentes omnes prosequemur, & peren-
die in æde montana prope scholam post meridiem con-
cionem sacram, quæ ex beatæ huius memoria nostræ nos
fragilitatis admonebit, & ad veram pietatem, nullo mortis
telo superabilem, exhortabitur, attente audiemus. Quod
vt Academiæ nostræ Proceres atque Ciues, tam suæ causæ
admonitionis, quam solatii ergo, meritis de nostra re
C litte-

litteraria viris, hoc casu grauiter percussis, VIDVO atque
SOCERO adferendi, ad vnum omnes promte ac dolenter
faciant, vnumquemque officiose atque humaniter in-
vitamus & admonemus. P. P. Halæ XXVI

Nouembr. MDCC.



IVSTA EXSEQVIARVM
 MATRONAE NOBILISSIMAE
 MAGNISQVE VIRTVTIBVS
 MAR... THA.
 GENER... NDRAE,
 NOBILISS... SIMIQVE
 IOANN... VELIS
 PROFESSO... BERRIMI
 VXORI... SSIMAE,
 AEQVISSI... OFFICIO
 ET AL... DRVM
 OMNIVM O... VENESQVE
 ACADEN... DICTOS
 EIV... OR
 GEORGIV... S STAHL,
 MEDICIN... P. ORD.



Halæ, typis CH

Acad. Typogr.

